B.

Biennio circumacto, ex quo de Titi Livi in libris ab urbe condita propria elocutione scribere aggressi sumus, ad alteram nostrae dissertationis partem accedimus, quam sic tractabimus, ut

I. primum de poëtico sermone,

II. deinde de graecismis,

III. tum de coacervatione nominum vel verborum et de quibusdam translatis,

IV. denique de rhythmica compositione et periodis

dicamus. etsi multa huc pertinentia iam in priore parte attulimus, nequamquam ea sufficere videntur. Livium in enarrandis rebus gestis, ut eas limata et perpolita oratione lectoribus proponeret, quantumcumque potuit laborem adhibuisse constat. et quamquam illud Ciceronis (de orat. II, 15,64), ut „verborum ratio et genus orationis fusum atque tractum et cum lenitate quodam aequabili profluens sine hac iudiciali asperitate et sine sententiarum forensium aculeis persequendum“ sit, in enarrandis rebus Patavinus historicus quam optime adhibet, tamen a Ciceronis stilo valde abhorret. nec defuerunt, qui scriptori multa vitio vertere studuissent. inter quos primus est morosus ille aequalium suorum censor Asinius Pollio, qui Patavinitatem obiecit. etiam Paulus Benius Eugubinus Pollionem secutus est, vir quidem doctissimus, sed maleficentia notissimus (cf. Wesener: de quibusdam Liv. orationis proprietatibus, dissert. l. p. 4. Confluentibus 1854; Morhof: de Patavin. Liv. c. 2. et 4.). inveniuntur autem, qui modeste et circumspecto iudicio de nostro pronunciaverint. sic Sebastianus Maccius Italus, vir omnium literarum suo tempore celeberrimus, in honorem Livii amplum volumen conscripsit et lib. 2. c. 8. ita dicit: Titus Livius aureum ac paene dixerim caeleste et divinum profudit eloquentiae flumen. vastissimus hic ille est et profundissimus latinae locutionis oceanus, mare doctrinarum ac disciplinarum omnium maximum immensissimum ac inexhaustum eruditionis omnis et scientiae pelagus (Morhof de Patav. Liv. c. 2.). quamquam illa laus maior est, quam ut Livii historiarum operi tribui possit, tamen unusquisque intellegere potest, quanto cum honore Livii nomen per omnes terras dilatatum sit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

I.

Sed his omissis iam ad rem ipsam accedamus. omnes illae proprietates, quas in perlustrandis orationibus attulimus, in rerum quoque enarratione inveniuntur, atque de poëtico quidem sermone primum nobis dicendum est. quantopere Livii ingenium poëtarum indole imbutum fuerit, quam optime ostendunt loci, quibus scriptor spiritu poëtico elatus fortasse invitus et inscius versus hexametros composuit. conferas

VII,13,11: ut signum daret, ut capere arma iuberet.
IV,57,7: moenia compulsis nec defendentibus agros.
XXI,9,3: arma: nec Hannibali in tanto discrimine rerum.

notissimum autem est praefationis exordium, quod incipit a verbis:

facturusne operae pretium sim.

XXII,50,10 duo versus occurrunt:

haec ubi dicta dedit stringit gladium cuneoque facto
per medios vadit.

quae poëtarum imitatio nequaquam scriptori vitio verti debet; nam ut ab oratore, eo magis meo iudicio ab rerum scriptore poëticus sermo exigendus est „non Acci aut Pacuvii veterno inquinatus, sed ex Horatii et Vergilii et Lucani sacrario prolatus". — etiam in singulorum nominum et verborum usu Livius sermonem poëtico colore imbuit. iam argumenta, quae enarrat, poëtis sunt communia. M. Kreiznerus dissert. l. p. 6. haec argumenta enumerat: Virginiae mortem, Hannibalis transitum Alpium, bellum Scipionum in Hispania, pugnam Cannensem. qui loci tamen pauci sunt; nam in unoquoque libro loci nobis occurrunt digni, qui versibus exprimantur. ita primus liber fabulas continet: septem reges eorumque res gestas, quarum descriptio quam maxime vestigia poëtica prae se fert. etiam certamen Horatiorum et Curiatiorum, trigeminorum fratrum, et legatio illa Delphos missa, quae consuleret, ad quem regnum Romanum venturum esset, quam optime poëtis argumentum praebere potest. praeter eas fabulas etiam prodigia, quae Romae vel alibi fiunt, huc adnumerari possunt. ita XII,1,8 sqq. ante pugnam Cannensem; deinde XXI,46,2; XXII,36,7; XLII,2,4; III,10,6; XXX,2,9; XXXI,12,5; XXXIII,26,7; XXXVI,37,2; XLI,13,1; XLI,16,6; XLII,20,5; XLIII,13,3; de portentis narratur I,56,4; XXII,7,12—14.[1]) in orationibus scriptor nullius prodigii mentionem facit, nec enim convenit, ut in ipsis eiusmodi res enarrentur.

Accedentibus iam ad nomina et verba in poëtico usu trita primum de adiectivis nobis dicendum est. Livium in orationibus plus nominum et verborum poëtarum propriorum quam in rerum enarratione adhibuisse unusquisque intellegit. Kreiznerus diss. l. p. 28 sqq. varia adiectiva enumerat ad poëtarum usum pertinentia, quae „etiamsi deesse possint, tamquam flores admiscentur, ut aut perspicuitati orationis inserviant, aut

1) alia exempla inveniuntur in annalibus gymnasii Leitmeritzensis 1901, quibus praefatus est W. Eymer dissert. „über Collectanea zur Liviuslectüre" p. 6.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

vim et pondus addant, aut suavem dicendi copiam efficiant, nec immerito apud Livium epitheta ornantia dicuntur, quamquam posteriore cadentis Latinitatis aetate dignitate amissa fucati medicamenta candoris iure habentur verborumque sonitus inanes, nulla subiecta sententia". magnum quidem eius modi adiectivorum numerum Kreiznerus affert, quibus alia adiungimus: damnosus XXV,1,3; XLV,3,4 in oratione Agepolis, Rhodiorum legati; furiosus XXXVI,34,3; laboriosus V,19,10; nivosus V,13,1; laureatus V,28,13; succinctus VII,5,3; incinctus VIII,9,9; X,7,3; discinctus XXVII,13,9; affinis XXVIII,17,5; XLIII,16,2; pileatus XXIV,16,18; XLV,44; XXXIII,23; phaleratus XXX,17,13; aeternus III,16,2; VI,17; celeber, quod tantum de rebus dicitur, — de personis XXVI,27,16; VII,21,6; IV,54,8; IV,53,12; — dis pro dives IX,40,6; XXVI,2,16; XLII,34; dura proelia XL,16,8; exanimis I,25,6; hosticus XLIV,13,1; sons in numero singulari III,58,11; segnis mora XXV,8,13; maritae domus XXVII,31,5; laeta exta XXXI,5,7; deses XXI,16,3; III,68, — et quae sunt cetera eius generis.[1])

Simili poëtarum usu Livius etiam substantiva adhibet, velut: aurora I,7,6 pro dies; corona XXIII,18,5: lacessitque corona (Belagerungsmannschaft); similiter dicit corona IV,19,8 sine appositione; contra Caesar b. g. VII,72,2 cum appositione coniungit; „nec facile totum opus corona militum cingeretur"; et Liv. XXIII,27,7: corona hostium. mortales, immortales: multis locis; nati pro liberi I,23,1; flagitator VIII,12,10; Troiugena XXV,12,5; ostentator I,10; iaculator XXI,21; XXXVI,18 populator III,68; saltatus I,20; primores I,59,6; proceres I,45,50; ruina XXI,14,2; XLII,3,9; piaculum XXXIX,47,11; sors XXI,43,2, — alia.

Etiam verbis poëtico sermoni sumptis simili modo utitur, velut: caelatus auro miles IX,40,4; fastidire c. acc. IV,3,13; gratari pro gratulari IX,43,17; oriundus I,49,9; XLII,34,2; subigere (sine remigiis) XXVI,7,9; — alia. — etiam elocutiones poëtarum proprias afferimus, ita: luce XXII,46,1; XXII,28,8; divitiis praepollens I,57,1; occidente iam sidere Virgiliarum XXI,35,6; colles adsurgunt XXII,4,2; libri fatales XXII,10,10; XLII,21,3; Scipio iuvenis, fatalis dux huiusce belli XXII,53,6; tacita cura XXII,12,5; primis tenebris XXII,17,1; precibus exposcentes II,40,5; conferas etiam XXI,32,7; XXI,33,6; XXI,7,4—7 —, quibus locis multae eiusmodi significationes occurrunt.

II.

Nunc ad graecismos quos vocant transeamus. iam Peter (dissert. in progr. gymn. Portensis 1863) et praecipue Nissenus in „kritische untersuchungen über die quellen der vierten und fünften decade des Livius, Berlin 1863" clare ostenderunt, quantopere Livius fontibus Graecis et praecipue Polybio usus esset. idcirco mirari non possumus, quod sermo Livianus adeo locutionibus graecae linguae propriis impletus est. orationes non adeo quidem graecismos continent, nam, ut iam supra attulimus, scriptorem in orationibus componendis multo diligentiorem fuisse constat.

---

[1]) cf. W. Eymer l. l. p. 7,5).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Usitatissimum graeci sermonis genus apud Livium est liberior usus infinitivi apud adiectiva, ut: paratus traicere XXXIV,60; paratus confligere XXII,19,3; assuetus XXIII,40,10; dignus c. inf. pass. VIII,26; facilis VII,33,2; desueto Samnite clamorem pati VIII,38,10; dubius VI,14,1; insueta (civitas) vinci IV,31,4; X,35,2; insueto vera audire XXXI,18,3; temporis opus esse (δεῖ μοί τινος) XXII,51,3. — graeco more etiam copula „est" cum inf. iungitur, ut XLII,41,2: est negare. — deinde accusativus qui dicitur graecus, quo poëtae solum utuntur, etiam in Livio reperitur. ita legimus: animum incensus XXII,12,5; sollicitusque omnia XXI,34,5; lectio ad V,36,7 variat; primae editiones habent „perlustrans fixum hasta", — quo loco Aldus edidit „per latus transfixum hasta". Gronovius et Clericus, qui eum secutus est, praepositionem „per" omiserunt, et Drakenborchius recte annotat praepositione omissa legendum esse: „latus transfixum hasta"; cf. Drakenb. ad h. l.

Sed his omissis iam ad participia transeamus, quae Livius quam saepissime lectoribus proponit. est linguae graecae proprium saepe participiis uti, ubi substantivum vel aliam constructionem desideramus. Livius eam graecae linguae proprietatem secutus saepe participium adhibet. ita legimus I,27,2: bellum gerere ex edicto; I,28,3: ex composito; II,35,1: ex insperato; IV,27,8: ex necopinato; VII,7,8: consulto; IX,11,4: pro infecto (in Pontii oratione); XXVIII,27,15: summoto; XXI,25,9 et XXII,4,4: inexplorato; I,58,5: facto maturatoque. etiam alii casus inveniuntur, cf. XXI,2,6: ob iram interfecti ab eo domini. nihil tamen tam saepe occurrit, quam participiorum vel adiectivorum genus neutrum in numero plurali, quae substantivorum vim habent; cf. XXVI,26,9: vana audistis; XXI,45: sperata; XXIII,10,2: inter cetera promissa; I,56,10: perfectis patris mandatis. etiam partic. fut. passivi saepe pro substantivo invenitur, ut XXXIX,10: silenda enunciare; III,20: in peragendis; XLII,5,1: pollicendo plura quam praestando; praef. 7: miscendo humana divinis; XXI,5,3: iungendoque, -- ad quam vocem Doujacius subintellexit: proxima quaeque —; XXI,5,5: large partiendo . . . cum fide exsolvendo; XXI,11,3: ira in hostes stimulando; praef. 12: pereundi perdendique omnia; ibidem: ab initio ordiendae rei; I,1,1: reddendaeque Helenae; I,1,10: finiendi erroris; XXI,2,1: augendo Punico imperio; I,1,5: ad arcendam vim; XXI,4,5: ad pericula capessenda; XXI,7,6: locus satis aequus agendis vineis; XXI,2,5: conciliabundis gentibus; XXI,2,7: sollicitandis gentibus. saepe etiam varia participia inter se iunguntur, ut praef. 6: ante conditam condendamve urbem; XXI,21,8: aut labores aut iam exhaustos aut mox exhauriendos. — rarius participia fut. activi inveniuntur; conferas III,60,8: invasurus; VIII,29,12: defensuri; IX,29,4: adiuncturus; XXII,12,2: commissurus; XLII,65,6: defensurus; XXI,32,1: facturus; XXI,32,2: occursurus; XXI,32,5: defensurus; XXI,58,2: adiuncturus.

III.

Sequitur, ut de coacervatione nominum vel verborum, quibus vis synonymica inest, dicamus. coacervatio illa, quam iam supra verbositatem sive pleonasmum nominavimus, rem auget; itaque non solum in orationibus, sed etiam in rerum enarratione

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

scriptor eam plurimis locis adhibet. ita legimus XXI,9,2: fusum fugatumque; XXI,17,8: paratas aptatasque; XXI,32,8: fugam stragemque; XLII,4,5: de discordiis seditionibusque; XXII,13,9: composita instructaque; XXII,12,11: ferox rapidusque in consiliis; XXII,18,3: saxa rupesque; XXII,27,2: immodice immodesteque; XXII,28,12: pulsa detrusaque; XXII,46,5: gladii dispares ac dissimiles; XLII,1,10: benigne comiterque; XXII,56,2: militum incompositorum inordinatorumque; XXI,34,6: undique ex insidiis barbari, a fronte a tergo coorti, comminus eminus petunt. — etiam illa vox „ferro ignique", quam Cicero rarissime pronunciat, mutatis nominibus in Livio nobis multis locis occurrit; ita XXXV,21,10: igni ferroque; XXIII,41,14: ferro atque igni; I,59,1: ferro igni quacumque vi possim; XXX,6,9: flamma ferroque. — saepissime autem duo adiectiva cum substantivo iunguntur, nulla coniunctione interiecta. quorum adiectivorum unum vel alterum vel adverbii loco positum est, vel „et" vel „-que" particula ponenda est, vel relative dici potest, vel denique genitivi locum tenet. ita legimus

pro adverbio: I,14,7: loca circa densa obsita virgulta —, ubi pro „densa" adverbium „dense" melius est. eodem modo explicari possunt loci VII,39,8: incompositi itaque praedantes in agrum Albanum perveniunt; XL,56,9: quum identidem species et umbrae insontis interempti filii agitarent; V,16: tum tu insiste audax hostium muris; VII,23: dum inter primores incautus agitat; VIII,4: quod illi vobis taciti concedunt. sed etiam aperta cum distinctione priore loco ponit adiectivum, altero adverbium, cf. XXVII,12: dum alii trepidi cedunt, alii segniter subeunt. etiam pro adiectivo adverbium ponit XXI,34,4: ne repudiati aperte hostes fierent.

et pro genetivo: I,57,11: ab nocturno iuvenili ludo; XXVIII,1,8: omni iusta militari custodia.

et pro pronomine relativo: I,20,2: et curuli regia sella; XLIII,1,9: novum periculosum iter; XLII,50,6: praepotentem finitimum regem; IX,2,7: satis patens clausus campus; I,31,8: occulta sollemnia sacrificia.

et pro omissa coniunctione „et" vel „-que"; XLIV,43,3: recta expedita via. quae structura quamquam tam multis locis occurrit, tamen in orationibus raro reperitur. Kuehnastius l. l. p. 308 Livi illam dicendi proprietatem sic explicare studet. dicit vir ille doctissimus unum vel alterum adiectivum simul cum substantivo unam vocem esse, ad quam scriptor liberiore usu aliud adiectivum ponit. sed tantum abest, ut illud Kuehnastii verum sit, ut ea scriptoris proprietas sit, qua liberiore modo praecipue in rerum enarratione utitur.

Sequitur, ut de translatis dicamus. usus eorum maior est in orationibus quam in rerum enarratione. quod facile explicari potest. nam si necesse est aliquid significantius aut decentius pronunciare, orator translatione adhibita non solum perspicuitatem, sed etiam pondus et suavem dicendi copiam addit. conferas XXI,30,5 (in oratione Hannibalis): domita etiam ipsius fluminis vi; XL,8,9 (in oratione Demetrii): deflagrare iras vestras; XXIV,45,3 — alia. sed etiam in rerum enarratione translationes inveniuntur, conferas I,25,4: fulserunt gladii; XXXVIII,54,1: M. Porcius Cato, qui vivo quoque eo

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

(Scipione Africano) adlatrare eius magnitudinem solitus erat. XLII,30: pars altera regiae adulationis erat (pro: regiorum adulatorum); XXII,40,4: cum dignitates deessent: V,52: Juno regina dedicata est (pro: fanum Junonis); II,51,2: annona premit; XXIV,31: pervasit rumor; XXVIII,20: terror ac desperatio invaserat; XXVII,6: mors diremit censuram; IX,6,3: traducti sub iugum et . . . . per hostium oculos —, quae vox etiam zeugma continet; VI,30,6: stabilis virtus tutata est; XXVI,22,13: Marcellus fulgens; XXXVIII,26,7: nubes telorum; XXXV,49,5: nubes peditum et equitum, — alia.

IV.

Restat, ut de rhythmica compositione dicamus. quamquam illud Ciceronis praeceptum, ut intervalla aequalia sint, Livius non ubique observavit. tota oratio Quinctii consulis III,67—68 industriae et ingenii Liviani vestigia quam apertissima prae se fert. non tam feliciter autem in rerum enarratione elocutio procurrit. Henrico quidem Sonnekio, qui in dissertatione „qua ratione et quo consilio Livius res gestas Romanorum tractaverit“ in annalibus gymnasii Jglavensis 1872 p. 2 demonstrare studet Livium „enixe in eo elaboravisse, ut sublata narrandi ieiunitate legentium animi descriptione venusta et ad rerum magnitudinem accommodata delectarentur“, — assentiendum est, sed inveniuntur loci, ubi non tam facile neque venuste rerum enarratio procurrit; conferas XLIV,41,6: „in medio secunda legio inmissa dissipavit phalangem. neque ulla evidentior causa victoriae fuit, quam quod multa passim proelia erant, quae fluctuantem turbarunt primo, deinde disiecerunt phalangem: cuius confertae et intentis horrentis hastis intolerabiles vires sunt“. in ea elocutione multa vituperanda sunt; nam non solum vocales eaedem iterantur, sed etiam exitus singulorum verborum dissonam vocem continent. ceterum structura totius et exitus copulae unius syllabae a pulchro dicendi genere abhorret.

Postremo de periodorum compositione dicamus. sicut in sentiendo et cogitando, ita etiam in dicendo et omni rerum enarrationis structura Livius viam sibi propriam ingreditur (cf. Kreizner. ll. p. 16). in orationibus non eadem structura reperitur atque in rerum enarratione; in ea enim licentias multas invenimus, quae a Ciceronis dicendi ratione abhorrent. ita legimus IX,29,9: „Potitii, gens, cuius“ —, pro illa nota dicendi ratione: cuius gentis; XXI,29,6: „cum eo, qui . . . exercitus“; XXI,32,5. in ea re Livius a multis vituperatur, quod annalium fontibus usus stilum valde neglexit. quamquam iure ei verti potest in periodorum structura eum saepe neglegentem esse, tamen omnes fere, qui de hac materia scripserunt, de compositione singularum periodorum partium inter se dissentire[1]) videntur, et tantum abest, ut Livius certis legibus orationem suam com-

[1]) Wesener: de periodorum Livianarum proprietatibus in annal. gymn. Fuldaensis 1860 p. 15 dicit „quamquam non desunt, qui, quum historicum genus ab oratorii generis natura multum distare negent, historicas periodos simillimas esse debere oratoriis affirment. Qui mihi a vero longe videntur aberasse“. idem p. 16 l. l.: „Quodsi quis periodorum conformationem et Ciceronianam et Livianam cum studio spectare velit, eum non dubitare existimo, quin, ut ferri non posset, si Liviana dictio tota ad orationes publicas adhiberetur, ita Ciceroniana periodorum ars in historia scribenda maxime offenderet“.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

presserit, ut persaepe, sicut iam multis locis demonstravimus, eam rationem secutus sit, quae ad elegantiam, suavitatem, florem coloremque orationis maxime pertineret. exemplum pulchrae periodi hunc a multis propositum locum invenio: I,6,1: Numitor inter primum tumultum hostis invasisse urbem atque adortos regiam dictitans, cum pubem Albanam in arcem praesidio armisque obtinendam avocasset, postquam iuvenes perpetrata caede pergere ad se gratulantes vidit, extemplo advocato concilio scelera in se fratris, originem nepotum, ut geniti, ut educati, ut cogniti essent, caedem deinceps tyranni seque eius auctorem ostendit". Numitor subiectum regens, primo loco positum, per singulas partes participiis coniunctum est, cetera enuntiata coniunctionibus cum, postquam, ut et ablativo absoluto adiecta sunt, et tota structura quamquam tortuoso nexu procurrere videtur, tamen pulcherrimam iuncturam totius ostendit. magnam huius structurae affinitatem invenimus etiam in Caes. b. g. I,23: „Helvetii, seu quod timore perterritos Romanos discedere a se existimarent, eo magis, quod pridie superioribus locis occupatis proelium non commisissent, sive eo, quod re frumentaria intercludi posse confiderent, commutato consilio atque itinere converso nostros a novissimo agmine insequi ac lacessere coeperunt". in utroque exemplo commune quod dicitur subiectum primum locum obtinet. — non tam eleganter procurrit haec periodus: XXI,9,1: „quum diu anceps fuisset certamen et Saguntinis, quia praeter spem resisterent, crevissent animi, Poenus, quia non vicisset, pro victo esset, clamorem repente oppidani tollunt". — non raro periodorum structurae hoc vitio vertendum est, quod in compluria verba exeunt; eiusmodi autem loci etiam in Caesaris commentariis de b. g. inveniuntur, sicut I,27,2: „qui cum eum in itinere convenissent seque ad pedes proiecissent, atque eos in eo loco, quo tum essent, suum adventum exspectare iussisset, paruerunt". — multis locis Livii periodi propterea tarde procurrunt, quod in iis multa participia posita celeriter procedenti sermoni obstare videntur. conferas XXI,5,1—9; secundum Kuehnastium (die Hauptpunkte der Livianischen Syntax p. 322) ducentae voces inveniuntur, inter quas duodecim participia sunt. conferas etiam X,7,9; XXIV,8,1 et praecipuc XXII,3,7—10, ubi pulchrae periodi inveniuntur, quae venusta et iucunda elocutione procurrunt.

Sed haec quidem hactenus. ex his omnibus exemplis reliquisque, quae apud Livium exstant, clare intellegimus nostrum historiarum auctorem viam ingenii sui propriam ingressum esse neque vituperandum, etsi inveniuntur multa, quae a Ciceronis stilo abhorreant. nam si ad res gestas scribendas Cicero animum induxisset, nescio an iisdem licentiis atque noster usus esset. noster autem Ciceronis stilum imitari neque voluit neque potuit; nam Cicero agmen scriptorum latinorum non claudit, sed immo vero post Ciceronem stilus linguae latinae a multis scriptoribus in vario dicendi genere exercitabatur. at „quod sibi proposuit Livius, ut omnes res gestas Romanorum eleganter narraret et ita, ut aequalibus cum delectationem animi tum utilitatem afferret, hoc eum re vera assecutum esse nemo iustus eius operis existimator negabit" (Sonnek l. l. p. 10).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf